

107e

T. o. 590.

Fortunante CHRISTO! 10

EXERCITATIONUM ETHICARUM
Ad Lib. VII. Ethic. Nicom. Arist.

NONA,

De

VIRTUTE HE-
ROICA,

&

SEMIVIRTUTIBUS,

quam

PRÆSIDE,

FRIDERICO CAHLENO,
M.P.L.C. Gymnasi Hallens. Rectore,
Præceptore suo fideli, & ho-
norando

καὶ δὲναμιν tuebitur

A.D. 7. Idus Februarij A.R. O. cld cld LIX.
H. Lq; Solitis

AUGUSTUS RUDLOFF,
Hallensis - Saxo.

Prelo SALFELDIANO.

FORNANUS CRISTO!

I REKLAMATIONUM ETHICARUM

AD REKLAMATIONUM ETHICARUM

1774

Be

VIRI UTI HE

A O I O A

REKLAMATIONUM ETHICARUM

REKLAMATIONUM ETHICARUM

REKLAMATIONUM ETHICARUM

REKLAMATIONUM ETHICARUM

REKLAMATIONUM ETHICARUM

REKLAMATIONUM ETHICARUM

REKLAMATIONUM ETHICARUM

REKLAMATIONUM ETHICARUM

REKLAMATIONUM ETHICARUM

REKLAMATIONUM ETHICARUM

REKLAMATIONUM ETHICARUM

REKLAMATIONUM ETHICARUM

REKLAMATIONUM ETHICARUM



ΣΩΣΟΝ Ω ΘΕΟΣ!

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑ ΑΝΑΛΥΤΙΚΗ.

Fuerunt haecenus pertractatae virtutes, quas vocant, absq; gradu. Sequitur de virtutibus cum gradu, LIBRO VII. In quo consideratur illarum tum Forma, vel in Genere quoad virtutem Heroicam, Continentiam & oppositum huius, sc. Incontinentiam, Cap. 1. vel in specie, partim absolutè quoad tum Naturam cap. 2. & 3. tum Objectum, quod voluptas, cap. 4 & 5. partim Comparatè, vel in genere, utra praestet alteri, an continentia iræ, an cupiditatis &c. vel in specie, tam respectu extremorum, quomodo continentia, temperantia & tolerantia extrema conveniant, cap. 7. & utrum intemperans sit deterior incontinente, cap. 8. tum respectu virtutum secundum affectiones, an Contingens sit idem cum eo, qui est perseverans, cap. 9. Et an contingens possit simul esse prudens, c. 10. Tum illarum Materia, de quâ

quâ vel conjunctim, quod hic de Voluptate sit
 agendum, C. 11. vel distinctim, ex opinione tum
 aliorum, quod non omnis voluptas sit bona, nec
 omnis mala, C. 12, tum suâ ipsius; quenam sit bo-
 na, C. 13. & quare corporis voluptas magis appe-
 tatur, quàm animi, licet hæc sit perfectior, C. 14.
 De quib9 per subjectas Theses σὺν ἑω̄ jam ube-
 rius.

THESIS I.

CAP. I.

Datur Virtus Heroica.

Ἡ Ἡρωϊκὴ.

I. Quia testantur hoc Autores, propter vir-
 tutis excellentiam quosdam non homines,
 sed DIs genitos visos fuisse, uti Homerus de
 Hectore affirmat. 2. Quia exempla omnium
 seculorum, quibus aliqui insignes virtute
 præ reliquis viri excelluerunt, id compro-
 bant. 3. Quia summo & rarissimo vitio op-
 ponenda est aliqua summa & rarissima virt9;
 Atqui feritas est summū & rarissimum vitiū.
 E. ipsi summa & rarissima virtus, scil. Heroi-
 ca, est opponenda.

Dicitur autem virtus *Heroica* non ab *Heroë*,
 cūm Heros tanquam denominatum potius

A 3

ab

ab illa, tanquam formâ denominante dicatur; *Heros* namq; audit, qui raro exemplo ad excellentiam virtutis alicujus memorabilem pervenit. uti *Jul. Caesar* Clementiâ, *Alexander M.* Fortitudine, *Lucretia* castitate, *Scipio* continentiâ, *Aristides* justitiâ, *Regulus* fide, *Scevola* cōstantia, *Æneas* pietate, &c. insigniter excelluerunt. Sed vel à Græco ἥρως, Juno, Augustin. l. 10. de C. c. 21. regina & regnorū domina, quòd Heroes non sint vulgares, sed coelestes quasi, & vulgarium dominatores ac principes. Vel δῆτο ἔπειν, à dicendo, quod Heroes disertissimi olim fuerint Oratores, & Rempubl. salutaribus legibus rexerint. Vel δῆτο τῆς ἔργου, à terrâ, quod Heroës sint quasi Dij terrestres, unde & ἡμίθεοι Semidei poëtis finguntur. Vid. Turneb. lib. 28. c. 35. Cæl. Rhodig. l. 14. c. 9. Barth. Ad vers. l. 6. c. 21.

THES. II.

Virtus heroica est habitus animi, quo quis divinitus adjutus per virtutis alicujus moralis excellentiam supra aliorum hominum conditionem elevatur.

ἐκθε-

ἐκθεσις.

Definitio hæc absolvitur i. *genere*, quod est *habitus animi*: siquidem tribus illis requisitis, φύσει, μαθήσει, καὶ ἀσκήσει, non secus ac aliæ virtutes morales, comparatur. In heroicis enim ingeniis maturè erumpunt tales præstantis virtutis igniculi, qui quotidianis incrementis, rebusq; præclarè gerendis quasi præludunt, & facem clariorem præferunt, uti videre est in Alexandro M. *Suppl. 1. & 2. Q. Curtij*, & Cyro puero, ap. *Justin. l. 1. c. 2. Differentiâ*, quæ petitur tum à *causâ efficiente* primariâ, quòd sit habitus peculiari *concurso & afflatu divino* quibusdam concessus, quorum indolem & vires naturæ DEUS excitat, & auget, ut majora viribus suis naturalibus aggrediantur: *Nemo enim vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam existit, teste Cicerone lib. 2. de Nat. Deor.* tum à *formâ*, quæ est *excellentiâ* Virtutis cujuslibet moralis, ultra communem sortem humanam.

THES. III.

Objectum heroicæ virtutis sunt omnium virtutum moralium objecta specialia, in excellentiâ spectata.

A 4

ἐκθε

ἡρωϊκός

Sive sunt omnes actiones virtutum reliquarum moralium, quatenus in iis excellentia vel eminentia (Arist. ὑπερβολή) cernitur; imprimis, quæ DEI gloriam, bonum publicum & Patriæ salutem concernunt. Et quoniam virtus heroica non *habet objectum* proprium, sed *commune*, à reliquarum virtutum objectis tantum *gradu distinctum*, sequitur, *illam non specie, sed gradu tantum ab iisdem differre*, h. e. secundum magis & minus. Datur enim Fortitudo heroica, iustitia heroica, Liberalitas heroica, &c. Magis & minus autem non variant speciem. *Vid. D. Jacob. Martin. Cent. V. Disp. 6. q. 6. quest. illust. Philosoph. & lib. 2. c. 24. p. 521. Synop. Eth.*

THES. IV.

Dividi solet in divinam & humanam: Et hæc subdividi in intellectualem & moralem.

ἡρωϊκός.

Ita quidem *analogicè* dividi potest. Nam, quæ *merè divina*, nec ullius humanis viribus est comparabilis, de eâ hîc propriè non agitur

tur

tur: v. g. Fides Abrahami, Fortitudo Josuæ, Samsonis; patientia Jobi: Sapientia Salomonis, & Heroicæ virtutes cum primis Christi Salvatoris nostri: sicut nec intellectualis virtus propriè vocari Heroica, aut ab illâ denominari quis Heros solet. Quod vel hinc liquere potest, quòd Extremum ejus, feritas seu bestialitas non nisi virtuti morali opponatur, uti jam patebit.

THES. V.

Extrema virtutis Heroicæ sunt in excessu feritas seu bestialitas, Gr. *θηρῶδες*; in defectu summa ignavia & ineptitudo ad omnem virtutis impetum.

ἐκ θεοῦ.

Feritas est vitium morale extraordinarium, quo quis appetitu humano in ferinum verso, excussoq; recte rationis judicio, per nefandam turpitudinem in bestiam ferè degenerat. Dicitur feritas, non quòd feris aut bestiis insit, cum Aristot. h. l. contrarium doceat, sed quia ejusmodi enorme vitium hominem bestiae in vitam similem reddit, juxta poetam: Fit pecus omnis homo, cui pro ratione libido est. Qvales

A 5

olim

olim exstiterunt *Semiramis*, filij concubitum
 petens, *Justin. l. 1. Heliogabalus* spurcissimus,
 Phalaris, Catilina, Sylla, Nero & alij imma-
 nissimi tyranni. *Summa ignavia est vitium*
morale, extraordinarium, quo quis ab honestâ
virtutis actione planè abhorret. Uti Margites
 iste Homericus, qui nulli vivebat idoneus ar-
 ti, putris ac solutus in otium. Et Sybaritæ igna-
 vissimi, & perditissimi, quorum lex erat, teste
Suidâ: Nemo nostrum frugi esto.

THES. VI.

DE SEMIVIRTUTIBUS IN SPECIE
 DE CONTINENTIA.

CAP. II.

Semivirtus est habitus imperfectus
 seu dispositio laudabilis ad virtutem.

ἡμιθεοῖς.

Imperfectus dicitur habitus, *respectu gra-*
dum; quibus aliâs habitus & dispositio dif-
 ferunt. Non enim specie differunt hæ semi-
 virtutes à reliquis virtutibus moralibus, sed
 gradibus, adeoq; accidentaliter tantum. Nã
 dum appetitus reluctatur adhuc, & ægrè ra-
 tionis imperio subiicitur, Dispositio tantum
 & via

& via ad virtutis habitum perfectum esse dicitur. His igitur habitibus imperfectis mediantibus gradatim pervenitur ad perfectas, quibus singulis suæ Semivirtutes respondent, habentq; *idem obiectum*, cum illis virtutibus perfectis v.g. dispositio ad fortitudinem, cum fortitudine, ad temperantiam cum temperantia, &c. *idem obiectum* habet. Unde tot *in genere* semivirtutes possunt constitui, quot numerantur virtutes morales. Et tot *semivitia* (quæ sunt *dispositiones ad ipsa vitia vituperabiles*) quot sunt ipsa vitia in excessu & defectu peccantia. *In specie* verò ab Aristotele & Interpretibus ad duas revocantur species, quarum una dicitur *Continètia*, altera *Tolerantia*: illi subjectum est appetitus concupiscibilis, huius verò irascibilis.

THES. VII.

Continètia est virtus imperfecta inordinatas voluptatum cupiditates, rectæ rationi repugnantes huius imperio subijciens.

ἐκθεσις.

Dicitur *virtus imperfecta*: quo ipso differt à tem-

à Temperantiâ, virtute perfecta, ἐν ἀπορρέσει
 & consultò agente. Hæc verò pravis agitur
 adhuc cupiditatibus, & illis ægrè resistit. Pau-
 cis: est *dispositio ad Temperantiam*. Deinde
 differunt *latitudine objecti*. Nam Temperan-
 tia versatur tantum circa voluptates gustus &
 tactus: Continentia verò etiam circa volu-
 ptates aliorum sensuum.

THES. IIX.

Objectum Continentiæ internum seu
materiale sunt voluptates: exter-
 num *s. formale sunt divitiæ, honores,*
vindicta &c. & horum abstinentia.

ἐν θεοῖς.

Primariò versatur circa *Voluptates necessa-*
rias ad conservationem Individui vel Speci-
 ei facientes, uti sunt, cibi, potus, Veneris. *Se-*
cundariò quoq; circa *non necessarias*, or-
 tas ex rebus ad vitam sustentandam quidem
 minò necessariis, facientibus tamen ad splen-
 dorem & felicitatem externam, ut sunt de-
 lectationes ex honoribus, divitiis, vindictâ,
 formâ corporis, &c. provenientes.

THES.

THES. IX.

Extrema continentia sunt in defectu
ἀνώνυμον, in excessu incontinentia.
ἐκθεσις.

*Vitium in defectu, nihil aliud est, quàm simplex aversatio omnium etiam honestarum voluptatum. Nomine caret, cum pauci admodum inveniuntur, qui omnes omnino delectationes, etiam licitas, averfentur. Incontinentia (ἀνῆγοσία) est vitium in excessu, quo quis invitus quasi ex pravo appetitu, contra recta rationis dictamen ea facit, quæ scit, non esse facienda. Et hoc vitium præcipuè circa gulæ & Veneris usum excedendo peccat. Cujus Aristoteles duas assignat species: *Præcipitantiam*, quæ est eorū, qui stimulante concupiscentiâ absq̄ consilio illi statim indulgent. Et *Infirmi-
 tem*, quæ est eorum, qui aliquandiu pravis affectibus quidem renituntur, sed tandem ab illis victi succumbunt, rectis consiliis non in-
 hærentes. Cap. 7.*

THES. X.

CAP. III.

Incontineus sciens & volens peccat.

ἐκθεσις.

Per scientiam Aristoteles hic non intelligit *strictè* & propriè sumtam, pro habitu scilicet podictico, sed *latè*, pro quâvis notitiâ imperfectiore, uti comprehendit etiam opinionem. Deinde distinguit ipse inter *scire secundum habitum* solum, ita ut quis eodem non utatur; & *secundum actum*, & *habitu simul*, dum quis ex habitu sciens illâ scientiâ actu utitur. Tertio, inter scire aliquid *in Universali*, dum intellectus principium aliquod universale cognoscit; & *in singulari*, dum ad hanc vel illam actionem applicatur. Quarto, inter *scientiam liberam* sive *solutam*, qualis est vigilantium & ratione suâ liberè utentium; *ligatam*, qualis est in dormientibus, Ebriis, & furiosis, & affectu vehementiori occupatis. Peccat igitur Incontinens scienter, scientiâ *universali*, licet non *singulari*; *habituali*, licet non *actuali*; *ligatâ*, licet nō *solutâ*. *In ipso scilicet actu*, dum perturbatione animi, pravâ corporis dispositione, externâ vi, aut aliis causis præpeditus non cognoscit malum esse, quod committit, licet ante actum, imò & post illum, poenitentiâ ductus, tale esse cognoscat.

THES XI.

CAP. IV. & V.

Voluptates, circa quas Continens & Incontinens versatur, non sunt uniusmodi.

EX JEJIS.

Præterquam enim, quòd jam antè in *animi & corporis* voluptates Philosophus distin-
xerit, & has in *necessarias & non necessarias*; insuper etiam alias *naturales*, alias *non-naturales*, alias *intermedias* constituit. *Naturales* vel simpliciter *Jucunda* sunt, homini cum brutis communes, quæ scil. ex alimentis & re Venerea percipiuntur: vel *secundum quid jucunda*, certæ animalium speciei tantum gratæ, uti aliud pabulum ovibus, aliud capris, &c. gratum est, alio cibi genere Germani delectantur, alio Itali. *Non-naturales*, quæ præter naturam expetuntur, vitio aliquo naturæ, ob morbū, aut pravam consuetudinem, vocantur *Juew'deis* beluinæ & immanes. v. g. comedere carbones, lutum, &c. Uti Phalaris filium cupiens devorare: Mulier, quæ teste Alberto Magno 20. annis Coloniae solis araneis vixit.

vixit, &c. *Intermedia*, quæ nec omninò necessarię, nec omninò aspernandæ, ut ludi, spectacula &c. Propter Voluptates corporis necessarias & naturales nemo dicitur incontinens, nisi modum excedat; quia aliàs conservatio sui, ut & speciei suæ non esset.

THES. XII.

CAP. VI.

Incontinentia voluptatum pejor ac turpior est, quàm ira.

EX JEONIS.

Quia 1. iratus subito movetur, incontinens verò cum quadam deliberatione: 2. iratus est apertus, incontinens fraudulentus. 3. iratus plerumq; poenitentiam agit, incontinens raro. 4. iratus minorem injuriam infert, quia vindicat; sed incontinens illam tantum sibi & aliis affert. 6. iratus est minore odio dignus, quia ira est magis naturalis affectus; incontinens majore, quia præter naturã multa appetit.

THES. XIII.

CAP. VII.

Incontinens non est prudens, licet possit esse solers; Quia

ἐκ θεοῦ.

Quia 1. non est plenè bonus, qualis tamen prudens esse debet. 2. non est satis aptus ad res quaslibet agendas. 3. Plerumq; serò ipsum facti pænitet, quod non est prudentis. 4. singulas facti sui circumstantias & fines non considerat. 5. Spontè peccat, quod Vir prudens nunquam facit. 6. Novit quidem facienda, sed abreptus cupiditatibus non facit illa. Coeterum quæ in seqq. aliquot Capitib9 Aristoteles de voluptate, ejusq; variâ differentiâ & adjūctis, ut & opposito ej9 dolore habet, iis attexendis, quippe Libro X. Ethic. horum recurrentibus, ubi ex professo à Philoso- pho pertractantur, hac vice supersedemus.

THES. XIV.

DE TOLERANTIA.

Tolerantia est dispositio laudabilis, seu virtus imperfecta circa dolores & molestias forti animo, licet agrè & cum appetitu irascibili, honestatis gratiâ perferendas.

ἐκ θεοῦ.

Sicut Continentia in voluptatibus; ita

B

Tolerantia

o ne-
spe-
s ne-
onti-
nfer-

ac

tinēs
ratus
ratus
ns ra-

quia
n sibi
o di-
s;
mul-

obit
Quia

Tolerantia in doloribus moderatè & convenienter ad eundis occupatur. Est autem *imperfecta Virtus*, quia cum molestiâ & difficultate, in dè & luctâ internâ appetitus & rationis est conjuncta, quâ in re à *Fortitudine*, cui *analogâ* est, differt, quæ cum voluptate & delectatione dolores molestias, & pericula adit. *Differentia* petitur ab *objecto*, quod sunt dolores, molestia, labores difficiliore ac aduersitates. Licet enim *Continentia* aliquo modo *circa dolores* quoq; verteretur, sit tamen illud *impropriè*, quia magis in superandis, quàm ferendis illis consistit, ac propterea magis est expetenda, quàm tolerantia. Tolerantia verò magis necessaria est, hodierno præsertim occisissimo & calamitosissimo seculo, quo viris bonis, beneq; meritis de patriâ & Republ. sæpè multa præter meritum eveniunt mala, ut verum fiat illud Apostoli Ebr. X. 36. Ἰππομονῆς ἔχτε ἡρεσίαν: patientiâ vobis opus est.

THEES. XV.

Objectum *Tolerantia internum* est appetitus irascibilis, ratione subgen-

gendus: externum, sunt dolores & molestia, equanimiter sustinenda.

ἐκ θεοῦ.

De discrimine inter Tolerantiam & Fortitudinem præced. Thesi nonnihil adjecim⁹. quod hæc sit habitus perfectus, illa imperfectus: Quib⁹ addi potest differentia ab *objecto*, quod hæc versetur circa difficilia & horribilia moderatè adeunda; illa, circa molesta æquanimiter sustinenda: Tertiò *à fine*: Hæc salutem publicam magis respiciat, illa magis privatam. Sic & *à Continentiâ* distinguitur objecto: quia illa primariò circa voluptates, tolerantia verò circa dolores versatur. Horum nomine intelligimus calamitates publico-privatas, bellum, pestem, incendia, morbos famem, sitim, egestatem, contemptū, calumnias, persecutionem, exilia, ingratitude publicam & privatam, injurias, & quicquid humanitùs ex adverso & læpius de improvviso obtingere solet homini. Quæ omnia, quia in experimentum fidei, ac virtutis divinitùs immittuntur viris bonis, fortiter perferenda, hisq; casibus nullo modo succum-

cumbendum esse, præter divini verbi oracula
monet *Boethius de Consol. Philos. Lips. de Con-*
stant. Drexel. in Gymnas. Patient.

THESES. XVI.

Extrema Tolerantia sunt in Excessu
Pertinacia; in Defectu Mollities.

ἐν θεοῖς.

*Pertinacia est vitium imperfectum, quo quis
in laboribus ac doloribus perferendis ex quadam
animi obstinatione sine ratione honestatis modum
excedit. Neq; enim Stoica ἀπαθεία casus gra-
viores excipiendi, aut Spartanâ duritie vili-
pendendi veniunt, quâ parte committitur
hoc vitium. Non solum autem in factis, sed
in dictis pertinaciam occurrere ex *Arist. hoc
libro 7. cap. 9. Ethic.* annotarunt interpretes:
Quosdam enim esse ἰδιογνώμονας, *singulares,*
qui rationibus, licet non semper firmiter
freti, sententiam suam nimis pertinaciter de-
fendant. 2. alios ἀμαθεῖς, *indoctos,* qui senten-
tiam pertinaciter tuentur, etiam nullis subni-
xi rationibus, 3. alios deniq; ἀγροῖκους, *agrestes,*
& pla-*

& planè rudes, qui nec intelligunt, nec audiunt aliorum rationes, iis tantum, quibus adfueti sunt, sive benè sive malè se habeant, mordicè insistentes. *Mollities* verò est vitium imperfectum, quo quis nullas planè dolores, labores aut molestias honestatis gratiâ perferre cupit. Dividunt hanc in *voluntariam* seu adscitiam, & *non voluntariam* seu naturalem. Illa, quia nostrâ culpâ contrahitur, inexcusabilis est, & reperitur in ignavis, Voluptuariis, & otiosis, constituitq; hoc vitium: Hæc verò, quia vel naturâ, vel morbo, sexu, ætate aut simili causâ existit, magis meretur excusationem. Exempla utriusq; vitii hujus pasim loquuntur historiæ.

CONSECTARIA AXIOMATICA.

- I. Virtus Heroica non competit omni ætati, licet possit competere utriq; sexui.

Quod ille apud Flav. Vopiscum in Aurelio de bonis Imperatoribus, illud nos de veris Heroibus jure affirmemus: omnes verè Hercès posse uni annullo insculpi hodiè. Omni tamen

seculo exstiterunt exempla Heroum, quos DEUS
 excitavit in solatium Ecclesia & patrocinium
 Reipub. Christiane, qui peculiaribus virtutibus
 excelluerunt ad stuporem uq̄. Sed nec Heroi-
 næ ignorantur, quales in sacris Debora, Jael,
 Juditha; in profanis Amazones, Tomyris,
 Clælia & alia plures celebrantur. Vid. Schardig
 l. 3. de clar. Mulierib. & Nobiliss. à Werder.
 Camerar. Cent. Horar. subseciv. c. 50. Interim
 fatemur, rariorem in foeminis, quàm in viris; in
 his etiam illustriorem reperiri, quàm in illis.
 pueris verò Heroica virtus minimè competit, ob
 rationes supra de S. Bono, cujus hi sunt incapa-
 ces, adductas.

II. Heroum filii sæpè noxæ :

Ἡρώων πῆματα τέκνα,

Exempla quotidie sunt obvia. Cyri quanta
 erat generositas? quanta animi fortitudo? At in
 filio Cambyse quanta morum scditas? David
 quantus Heros? quàm degener filius Absolon?
 In Octavio Augusto quàm Heroica effulsit indo-
 les? quàm generosus ad res summas impetus?
 Et idem tamen tres liberos suos appellitare
 consuevit tres vomicas, aut tria carcinoma-
 ta

ta sua, Sueton. in Aug. c. 65. *Causas rei dudum ostenderunt fusius C. L. Heiderus in orat. Sagittarius Exercit. Exot. 16. p. 404. Paucis: quoad Physicas causas: est 1. præcox, intempestiva, aut vinosæ Venus in parentibus. 2. sobolis alieno, non materno, lacte nutritio. 3. prævi temperamenti è nutricum lacte attractio. Ethicas: 4. Nivius liberorum amor, quo parentes, veluti simiæ pullos, efflicim deperiunt, imò perdunt. 5. nimium patrociniū adversus præceptorum etiam moderatas & verbales castigationes, quod indulgentiam vocant. Hinc illud Mantuani:*

Blanda patrū segnes facit indulgētia natos.
6. Mala educatio domestica, quæ exemplorum depravationem, quæ ad omnem luxum in cultu victuq; liberorum conniventiam. 7. Nimia parentum in alijs occupatorum circa liberos incuria. 8. Nivius filiorum in auctoritate, dignitate, divitiis, &c. parentum confidentia, &c. Et quia virtus & dignitas publica non sunt hereditaria, mirum non est, interpositis hiis causis Magnorum liberos sæpius degenerare, nec vestigia Majorum premere.

III. Herorum sæpè funesti ac infelices sunt exitus.

Itidem plena sunt hujus rei historicorum volumina. Quò altiùs sunt erecti, eò proniores ad lapsum existunt. Nam juxta Horat. lib. 2. Od. 10.

celsæ graviore casu
Decidunt tures, feriuntq; summos
Fulmina montes.

2. Accedit nimia sui confidentia & audacia, insolentiaq; animi, quâ abrepti saepe viribus majora tentant Heroës, & sic speratis excidunt ausib; qui suâ sublimitate moderatè usi, forent tutissimi. Medio tutissim; ibis. 3. Insuper Heroes natura sunt igneæ, & ob spirituum copiam varios sentiunt impetus, quorum vehementiâ abrepti à rectæ rationis regulâ deflectunt, & sæpius in miseria abyssum precipitantur. 4. quia invidia telis expositi, anguem in sinu fovent, atq; ab invidis in magnas calamitates nullo suo merito conjiciuntur. Nunquam enim eminentia invidiâ caret, inquit Vellejus Patercul. l. i. c. 40. Exemplo Scipionis, Themistoclis, Eumenis, Chabriæ, & aliorum, de quibus Corn. Nepos Plutarchus, alij. Vid. Keckerm. Curs. Philos. Disp 27. p. 1189.

IV. Vir-

IV. Virtus Heroica non in solis Christianis, sed & in ethnicis datur.

Negat hoc Danæus lib. 6. Eth. Christ. c. 21. eò quòd nulla vera virtus nedum Heroica, sine fide esse possit: quò accedit, quòd non propter gloriam DEI fuerit exercita. Verùm hic distinguimus inter Virtutem in abstracto & in essentiâ suâ, & eandem in concreto & respectu subiecti vel adjuncti consideratam. Fides non est de essentiâ virtutis simpliciter & in se spectata, sed spectata in homine Christiano. E. quod speciei est, generi non statim est tribuendum; aut quod subiecto deest, de adjuncto quoq; non statim est negandum. Error & imperfectio hominis ethnici nil derogat perfectioni virtutis Heroica. Cum & habitus & actus ejus potuerit esse perfectus in gentilibus, licet finis non semper pius & optimus.

V. Toleranda sunt adversa æquanimiter, quæ mutariqueeunt.

Magnâ hic imbecillitas in piis quoq; & sanctis sub onere crucis ingemiscantibus & vacillantibus deprehenditur, cum tamen ipsi etiam gentiles infracti in summis calamitatibus animi documenta ediderint clarissima.

fo, Mutius Scævola cruciatum ignis? Fabritius
 pauperatem? Rutilius exilium? M. Attil. Re-
 gulus machinam clavis acutam? Viri de Re-
 publ. Atheniensi meritissimi, quorum longa
 apud Corn. Nepot. series est, calumnias summam
 ingratitude & exilia, imò & indignissimam
 mortem sustinuerunt? Faceſſat igitur in Christi-
 anis, præſertim in juſtè patientibus, iſta molliſſes
 animi quibus aliud ſuadeat: 1. divina providen-
 tia & paternæ ſub cruce cura. 2. vitæ humanae
 conditio & vicifſitudo perpetua. 3. utilitas ad-
 verſitatũ multiplex & uberrima. Quoniã π & ἴ-
 ματα μα ἴματα, quæ nocent, docēt. M:la nos ſepè
 magis erigunt, & ad virtutem ſtimulos ſubdunt,
 quàm frangunt. uti de Themiftocele perhibet
 Corn. Nep. Etenim virefcit vulnere virtus. Ad
 hoc Sacramentum adacti ſumus, inquit Sene-
 ca Epift 70, l. 7. ferre mortalia, nec perturba-
 ri his, quæ vitari noſtræ poteſtatis non eſt.
 Sufficiat rectè facti conſcientia, & cum primis
 divina gratia, ſi humana nos præter meritum
 deſtituat. Cauſas Theologicas Vid. ap. D. Gerh.
 in Scholâ piet. Val. Fromm. d. Chriſtianifm.
 Joh. Arnd. in Scholâ crucis, &c.

VI. Voluptas magis perturbat mentem, quàm dolor.

Quia est hostis blandior, ideoq; periculosior:
 2. *difficilius est secundam, quàm adversam fortunam perferre, uti multis probat Muretus l. 5. Var. Lect. & Lips. in not. ad L. 1. Cornel Tac. 3. Tenacius adheret voluptas, quia magis secundum naturam, quàm dolor, qui magis contra naturam. Cic. 4. Quæst. Tuscul. Arist. l. 2. Ethic. Nicom. c. 12.*

VII. Voluptas nulla est perpetua.

1. *Quia hominis natura semper novitatis est avida. Et ex novis rebus & actionibus majorem capit voluptatem, quàm diu assuetis, illisq; mentis & affectu tenacius adheret.* 2. *quia etiam in voluptate animi intellectus ex satiatus agit remissius & negligentius, unde voluptas minuitur.* 3. *quia homo in omnibus operationibus externis defatigatur, unde tandem cessat actio, quâ cessante, cessat ipsa etiam voluptas. Hinc Poëta:*

Namq; voluptates commendat rarior
 ufus.

4. *quia nihil in rebus humanis stabile & immutabile ac perpetuum.*

IIIX, Ho-

IIIX. Homines magis plerumq; sectantur corporis, quam animi voluptates.

Quanquam inter omnes doctos & cordatos constet, Voluptates animi esse præstantiores, quia illarum non dari potest excessus. 2. non habent adjunctum dolorem. 3. sequuntur actionem virtuosam: Tamen homo, rerum suarum prodigus ac malè providus, magis corporis sectatur voluptatem, 1. quia maxima pars hominum veras voluptates ignorat. 2. quia voluptatibus his putant se mederi posse doloribus corporis, quibus subinde vexantur. 3. quia magis sensus afficiunt, & his sunt gratiores. 4. quia sine illis neq; species augetur, neq; vita conservatur,

IX. Delicta per Ebrietatem commissa non sunt simpliciter excusabilia.

Nonnulli hic distinguunt inter Ebrietatem, quæ instar actus est, & Ebriositatem, quæ habitus nomine venit. Hanc nullo modo excusabilem esse: cum ebriosus peccet ex habitu spontè, sciens & volens. Imò talem duplici pœnâ dignum, tum ob vitium, tum ob scelus patratum. In Ebrietate verò juxta Thomam Aquin. 1.

Sum-

Summul. duo sunt; actus præcedens & defectus consequens. Quoad priorem distinguendum est inter ebrietatem Spontaneam, & invitam, seu præter voluntatem susceptam: Illa non meretur excusationem, hæc excusat in tantum, sed non in totum. Quoad defectum consequentem verò, in quo usus rationis ligatur, potest excusari, in quantum constituit involuntarium per ignorantiam. Vid. Dn. D. Jac. Mart. Cent. 4. Quæst. Philos. d. 6. Evvald. resol. quæst. Ethico-polit. 7. q. 7.

X. Homo spontè malus est.

Quia, licet pravis exemplis seducantur, & corrumpantur multi, juxta illud Menandri: *Φθείρον ἡθὴ χεῖρ' ὀμιλίαι κακῆς.*

Tamen in externis & civilibus rebus homo habet libertatem arbitrij, ut possit hoc, quod agit, etiam non agere, benè vel malè vivere politicè. 2. quia principium actionum malarum est in ipso agente, & conferente aliquid ad easdem, quæ est natura spontanei, uti supra Exercitat. 3.

Eth. 3. p. 90. ostensum
fuit.



Φίλεσο

Φιλευσεβεί, Φιλαργεῖν καὶ Φιλεπιστήμονι

Respondenti

Divinam benedictionem!

Remigio velut alarum Jovis armiger ales
 Per nubes trananscendit ^{sublimia} summa petit;
 Sic Heros aliis longè sublimior exstans,
 Remigio mentis non nisi summa petit.
 Excellens animus prodit maturior annis,
 Præcurrens fortem mente sagace suam.
 Continet & tolerat, nullos refugitq; labores,
 Despiciit ignavos, odit & usq; malos.
 Æmulus hujus eris? divino remige nixe,
 RUDLOFFE, excelsum quære labore decus.
 Æmulus hujus ades? sublimia, laudeq; digna
 Tentando, sternas sic super astra viam.
 Si Te blanditiis lacit insidiosa voluptas,
 Hac te contineas: emta dolore nocet.
 Si pateris, tolera: dolor hic tibi proderit olim;
 Victor eris mecum, Numine dante, mali.
 Et quia remigio juvenili publica tentas,
 Perge! Themis quondam præmia justa dabit.
 Ut patriæ remex cum paucis utilis esse,
 Heroisq; queas obtinuisse decus.

ἐκ Φρενῶν मुखῶ

discipulo charissimo precor

PRÆSES.

Auguste augusti generis Rudloffie ocelle,
 Quâdo sub incidē memata docta vocas,
 Ominor, ut validis leo noscitur ungvibus, olim
 Patria te quantum res habitura sibi est!

fausti ominis ergò gratul f.

M. Joh. Gottfr. Olearius, Halâ Saxo.

Eccl. Mar. p. t. Adj.

Quid sublime gen9, series quid longa paren-
 Stemmata quidvè juvant? (tum,
 Si corrupta studet suboles succumbere culpæ
 Deteriusq; sequi.

Te finxit meliore luto *perdocte Rud! ffr*
 Solis amica manus.

Turpia dum ridens transversæ gaudia vitæ
 Crimina prava fugis.

Dumq; struis Virtutis opes ac pectore toto
 Invigilas Ethicæ,

Quæ morēs hominum format, viridiq; juventæ
 Eximit omne malum.

Virtutis thalamo pergas committere vultus
 Ingenii teneros.

Hujus in aureolis nascetur grata lacertis
 Gloria Lausq; Tibi;

Namq; rependit Honos Virtutē, & fama nepotū
 Hanc super astra vehit.

Honori

Pereximii Domini Respondentis

Amici ac Matrueles sui honorandi

deproperab. Lips.

Johannes Oleari

Disticha pauca dabo. Nōdū crescentib9 alis
 Qui volat ante diem, næ mala multa subit.
 Quid fuit, ut tutas agitârît Dædalus alas
 Icar9 immensas nomine signet aquas?
 In promptu causa est: submissiùs ille volabat,
 Hic altè, pœnas Icar9 ergò luit.
 Sic dabit icarias pœnas, qui credere plumas
 Contendit sôli: quòd nova penna fuit
 Cum subit exacti calidiq; examinis æstum,
 Tunc pennas vellit docta caterva leves,
 Ast jucunde, volas haud sanè implumis, amice,
 Artis & affectas uberioris opes.
 Eduravit enim pennas sudorq; laborq;
 Ergo vade modò: nam benè tutus eris
 Perge bonis avibus. Tandē Deus, opto, reponat
 Te Patriæ incolumem. Disticha pauca dedi.

Amico suo amiciss. scrib.

Johann Haltmeyer.

Si proavos atavosq; tuos, Rudloffè, recenses,
 Tunc virtute fideq; quisq; splendet,
 Non tamen es tali contento honore Parentum,
 Gestis scandere proprio labore,
 Ingenio felix, sollers sublimia sectans.
 Scandas, auxilio DEI, nitebis.

Ita dilectiss. suo scribebat

Gottfried Hillman Camentiâ-

Lufatus.

☉(o)☉

65604


Handwritten text, possibly a title or description, partially obscured by the label.

ULB Halle
007 397 542

3



VD 17





Farbkarte #13

B.I.G.

Fortunante CHRISTO! 10

EXERCITATIONUM ETHICARUM
Ad Lib. VII. Ethic. Nicom. Arist.

NONA,
De

VIRTUTE HE-
ROICA,

&
SEMIVIRTUTIBUS,
quam

PRÆSIDE,
FRIDERICO CAHLENO,
I.P.L.C. Gymnasi Hallens, Rectore,
Præceptore suo fideli, & ho-
norando

καθ' ὕψαιον tuebitur

.D. 7. Idus Februarij A.R. O. cło cłc LIX.
H. Lq; Solitis

AUGUSTUS RUDLOFF,
Hallensis - Saxo.

Prelo SALFELDIANO.